

refugit: quo jure papa Rom. sua placita censuris omnib. subtrahit? Veritas certè examen & lucem non fugit. **DOCET** verò, licet judicium de doctrina pertineat ad omnes, non tamen omnes benè judicare, nisi prophetas & spirituales, h. e. propheticarum scripturarum peritos, & spiritus gratiâ illuminatos.

QUÆRITUR verò, quomodo dicat hæc esse Dei mandata, quæ nusquã scripta leguntur? An ergo præter scripturas sunt alia Dei madata? *Respond.* Prius quidem scripta non fuerant: tunc verò Deus per apostolum ista Corinthiis scribi mavit: & nos hodie scripta habemus. Si porrò *quæras*: an obligent nostras conscientias? *Resp.* Omnino, quatenus moralia erant & universalia. Quatenus verò de singularib. donis erant: ad solos Corinthios pertinebant.

38. QUI VERÒ IGNARUS EST) Protestatione se purgat à culpa ignorantie Corinthiorum circa universam suam doctrinam: quòd si quis eorum nec dum intelligat, quid vel generatim de fide tenendum, vel speciatim de spiritualibus donis sentiendum sit, ejus non nisi affectata sit ignorantia: quoniam perspicuè & copiose satis de omnibus prius eos erudierit & jam scripserit. Qui igitur, inquit, ignorat, ignoret sanè, & pereat sua culpâ. Excudit nobis torporem, ne ignorantiam nostræ socordie prætexamus: quia neminem ea excusabit.

39. ITAQUE, FRATRES, HOC AMBITE) Conclusio est, repetens præceptum de ambientia prophetiæ, sed citra linguarum neglectum. *Μη κωλύετε, NE PROHIBETE*) prolepticè hoc repetit, ne, quæ de linguis dixerat, in sinistram partem traherent, quasi linguarum dono nullum in ecclesia relinquat locum, vel explosum id velit. Ita enim prophetiæ posthabendum docuit linguarum donum, ut tamè præstantiam ejus multis nominibus etiam commendaverit, modò interpretatio accederet. Artificium oratoris est, in epi-

A logo ἀνακεφαλαίωσιν eorum, quæ dicta fuerunt, retexere & memoriæ auditorum imprimere, nec scrupulum ullum in animis eorum relinquere. Id studiose hîc facit apostolus. Linguarum interim studium nobis commendat: quarum cognitio ad prophetias est necessaria.

40. OMNIA DECENTER ET ORDINE FIANT) Aphorismus ultimus & generalis, omnium præcedentium totiusq; œconomiae ecclesiasticæ normam complectens: ut omnia in ecclesia fiant *ἀκριβῶς, καὶ ὡς τὰ ἐν* *decenter, & ordine.* Regula est summi momenti, universaliter ad ecclesiam pertinens, etiam hoc tempore. Quæ ut rectè intelligatur, sic habendum. Hactenus apostolus doctrinam & præcepta divina Corinthiis præscripserat, atque in horum obsequium gravissimis rationibus eos adstrinxerat: nec eis mutandi aut non obediendi libertatem reliquerat, sed necessitatem obtemperandi imposuerat. Nunc verò decorum & ordinem circa doctrinam &

C præcepta divina, eorum arbitrio & potestati concedit: h. e. liberum facit, quomodo universa & singula hactenus præscripta decenter & ordine in ecclesia dispensent & administrent. *γινέσθω, fiant,* inquit, a vobis, & vestro arbitrio. Facit igitur ecclesiæ potestatem de decoro & de ordine ecclesiastico liberè disponendi, & leges ferendi, prout ædificatio quolibet loco postulabit. Ita omnes ecclesiarum episcoporum & doctorum leges de decoro, & de ordine externo possunt & debent: de doctrina vero ex præceptis divinis nequaquam. *Decorum* opponitur vanitati, sordibus, luxui: *Ordo* confusioni & perturbationi. Est enim ordo parium *Ordo quid sit.* dispariumq; rerum sua cuique tribuens loca dispositio. Est autem allusio ad œconomiam, in qua hæc duo requiruntur: Domus tunc dicitur decenter disposita, quando sordes absunt, omnia conveniēte habitu & ornatu absq; luxu sunt comparata, ordineq; disposita, quando fami-

lia in

965
la in sup
toa faci
sunt vice
dicuban
denique
Et aliud
curia
Decorum
to, statu
niam
dus, vasa
da, habi
omnes p
superstic
tate, mode
quam à di
quasi in D
conspetu
veniente t
sia: sic disc
scendum;
precandi, p
municandi
neris sunt al



Septima p
apostolus
ruidam in d
vriis cognove
fidei Christi
dne, deniq; pr
sua. & non
monstrat: sed
deniq; ut in b